



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De David monacho, qui oculos in solem defixit, cap. 55.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

DVm sanctæ recordationis dominus David monachus Claustrensis adhuc esset in corpore, sæpe sedens in labore, in ipsum globum solarem irreuerberatis oculis, ad instar aquilæ, respexit. Huius rei testes sunt seniores nostri, qui ea, quæ dicta sunt, sæpius viderunt. Si enim Deus tantam virtutem tribuit oculis infirmis, quid hoc miraris de oculis glorificatis? APOLLONIVS: Dic quæso, quæ erit gloria corporum, vel quæ gloria animarum? CÆSARIVS: Vtriusque hominis gloria nobis inexplicabilis est.

IN nouissimo die, vt dicit Apostolus, omnes resur- *De doti-*
gemus, sed non omnes immutabimur, soli electi *bus bea-*
immutabuntur, per glorificationem vtriusque ho- *torum.*
minis. Gloria corporis consistit in quatuor dotibus, *1. Cor. 15*
id est, in subtilitate, claritate, immortalitate, agilitate. *Corpo-*
rum. Quatuor erunt dotes corporis, vt omnis eius natura glorificetur: corpus constat ex quatuor complexionibus, id est sanguine, cholera, melancholia, flegmate, quæ cum quatuor elementis concordant: sanguis concordat cum aëre, cholera cum igne, melancholia cum terra, flegma cum aqua. Est adhuc alia horum cū ætatibus & temporibus concordantia, quæ huic loco non est necessaria. Quicquid enim corpus humanum habet de aëre, transibit in subtilitatem; quod de igne, in claritatem; quod de terra, in immortalitatem; quod de aqua, in agilitatem. De his quatuor dotibus scriptum est: Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ, in arundine- *Sap. 3.*
to discurrent. Fulgebunt, ecce claritas, & tanquam scintillæ, ecce subtilitas, nihil subtilius scintilla, in arundine- *Animarum.*
peto discurrent, ecce agilitas, discursus agilitatem exprimit. Per hoc quod sequitur: Et regnabunt in æternum, exprimitur immortalitas vel impassibilitas. Dotes *Mat. 20.*
verò animæ sunt, agnitio, dilectio, fructio: anima beata Deum agnosceret, agnitum diliget, fruatur dilecto. Post resurrectionem generalem, septenarius iste trinitati personarum jungetur, & felix tunc ille denarius, electis repromissus, perficitur. Erit tamen in dispari claritate,